

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

De liberis educandis commentarius

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

1

PLVTARCHI
ETHICORVM, SIVE
MORALIVM,

Pars I.

GVILIELMO XYLANDRO,
Augustano, interprete.

PLVTARCHI, DE LIBERIS EDV-
candis, Commentarius.



15 **C**ONSIDEREMVS in præsentia, quid dici Procrea-
possit de ingenuorum puerorum institu- 110.
tione, & quanam vsi ratione bene morati
euadere possint. Opinor autem initium
ab ipsa ducendum procreatione. Ergo qui
parentes fieri cupiunt laude dignorum li-

20 berum, iis ego quidem hoc consulerem, ne cum quibusuis
mulieribus rem haberent: quales, inquam, sunt meretrices,
& pellices. Quorum enim vel à patre vel à matre aliquid vi-
tij habent natales, eos per omnem vitam opprobria comi-
25 tantur, quæ elui nullo modo possunt, suntq; in promptu vi-
tia ista, si qui afficere eos ignominia volunt. Ac sapienter di-
ctum est à poeta,

*Nisi fundamenta stirpis iacta sint probe,
Miseros necesse est esse deinceps posteros.*

*Præterea, procreatio
non aget*

*Eurpid.
Hercul.*

30 Est itaq; præclarus libertatis thesaurus ingenuitas, cuius
plurimam ducere debent rationem, qui legitimam libero-
rum affectant procreationem. Etenim eorum quibus genus
est subditicium & adulterinum, animi spiritus ponere, hu-
miq; reperere solent. rectissimeq; hoc cecinit poeta,

35 *Non duritate tanta est quisquam pectoris,
Obnoxio qui non animo Et seruo fuit,
Culpa patris matrisque conscius sibi.*

*Idem Hip-
polyto.*

Sicut contra arrogantia quadam animique exultatione
implentur illustribus nati parentibus. quomodo Diophan-
tum Themistoclis F. frequenter aiunt & ad multos dixisse,

Quidquid ipsi placuisset, id populo quoque Atheniensi probari. suæ enim sententiæ matrè suffragari, huius Themistocle, cuius vniuersi Athenienses ratû habeant decretû. Omnino aut laude digni sunt Lacedæmonij, ob altitudinem animi, qui Archidamum regem suum pecunia multauerunt, 5 quod pusillam vxorem ducere non esset veritus. causa exposita, quod is non reges, sed regunculos ipsis statuisset generare. His continuo id subiungendum est, quod ne eos quidem fefellit, qui ante nos hoc argumentum tractauerunt. quid, inquires, illud? Quod qui rem habere cum mulieribus 10 prolis gignendæ causa volunt, aut omnino vini vacuos, aut certe mediocriter eo vsos hoc conuenit facere. Ad solent enim vinosi & ebriosi fieri, quos patres ebrij seuerunt. Quâ obrem etiam Diogenes adolescentulum videns animo ab alienatum, & mentis male compotem, dixit: Adolescens, 15 pater te ebrius genuit. Atque hæc quidem de procreatione dicta sunt. nunc de institutione dicendum. Vt igitur summa rem totam complectar, quod de artibus & scientiis solemus, idem & de virtute pronuncianum est. scilicet ad eius perfectionem tria oportere concurrere: Naturam nimirum, 20 rationem, & adsuæfactionem. rationem verò intelligi volo doctrinam, & adsuæfactionis nomine exercitationem. Initia hoc in genere debentur disciplinæ, vsus exercitationi, perfectio omnibus. & vbi horum aliquid defecerit, ab ea parte mancama fieri virtutem necesse est. Natura 25 quippe absque disciplina si sit, cæca est: disciplina si à natura destituatur, defecta: exercitatio his duobus demtus imperfecta est. Et quemadmodum ad agriculturam primum requiritur bonum solum, deinde peritus colonus, denique semina frugis: ita plane hic natura solo, agricolæ magister, 30 semini præcepta atque instituta respondent. Hæc ego omnia contendere ausim conuenisse atque conspirasse in animas omnium ore decantatorum hominum, Pythagoræ, Socratis, Platonis, atque aliorum, qui nulla vnquam obliuione delendam gloriam sunt consecuti. Sane beatus 35 diisque acceptus est, cui deus ista omnia tribuit. Si tamen aliquis ita putat, eos qui ingenio non sunt felici, vbi ad virtutem recte instituantur atque exercentur, non posse naturæ defectum mediocriter exsarcire, scire debet in errore se non paruo, immo autem summo versari. Natu-

Qua ad in
 stitutiōne
 necessaria.

ræ enim bonitatem socordia corrumpit: vitium doctri-
 na corrigit. & cum facilia negligentes nos fugiunt, tum
 difficilia consequimur accuracione. Et verò multarum re-
 rum contemplacione addiscere possis, quantum efficaci-
 5 tatis atque ad perficiendas res virium habeant industria
 atque labor. Nam & aqua guttatim lapsa lapidem cauat:
 & ferrum atque æs manuum contrectacione atteruntur:
 & rotas curruum labore magno curuatas nullo possis co-
 10 natu in pristinam restituere rectitudinem: ac incuruos
 histrionum lituos in rectum dirigere nulla vis queat. adeo
 quod contra naturam labori effecit, ipsa naturali facul-
 tate sit validius. Quid? an hæc duntaxat sunt, quibus di-
 ligentiæ vis demonstratur? immo verò sunt innumera por-
 15 rô alia. Solum telluris bonum fuit: cultura cessante ste-
 rilefcit. quantoque melius fuit natura, tanto deterius sit
 neglectu. Alia contrà est tellus dura atque asperior æquo.
 ea tamen culta præclaros illico edit fructus. Iam quæ ar-
 bores non tortuosæ sunt atque infrugiferæ, si per incu-
 20 riam habeantur? quæ non frugiferæ sunt atque fecun-
 da, si recte educantur? Aut quorum corporum robur non
 hebescit atq; dissipatur socordia, luxu, prauaq; habitudine?
 quis contrà ita fuit inualida natura, vt non exercitacionib.
 & certaminum studio maxima fecerit ad robur incremen-
 25 ta? Qui verò equi à prima ætate recte domiti non parent
 sessoribus? qui mature non subacti, duriceruices & feroces
 non exstiterunt? Et quid attinet alia nos admirari, quando
 de bestiis ferissimis multas videmus cieures mansuetasq; la-
 bor redditas? Recte enim Thessalus ille, qui percontanti
 30 quinam Thessalorum essent placidissimi, respondit, Qui
 militandi finem fecissent. Cur verò in istam pluribus re-
 censendis? cum mores ipsi Græco sermone nihil sint
 quam adsuëfactio diuturna, neque abs re morales virtu-
 tes dixeris virtutes consuetudinis eorum lingua. Vno ad-
 35 huc huius rei exemplo proposito, desinam prolixius ista
 declarare. Lycurgus, is qui Lacedæmoniis leges posuit,
 duos catulos iisdem prognatos canibus diuersa omnino
 ratione educauit, alterum delicatum & luxuriosum, alte-
 rum indagini & venationibus aptum reddens. Quodam in-
 de tempore cum frequentes in concionem Lacedæmonij
 coiuissent: Magnum (inquit) Spartani, ad virtutem conci-

*Industria
 & exerci-
 tacionis
 vis.*

Educacio.

piendam momentum adferunt adſuefactio, educatio, doctrina, atq; condocectio. quod ego vobis iam nunc com-
monſtrabo. ſimulq; duos iſtos catulos productos poſita in
medio patina & lepore, dimiſit. quorum cum alter illico
leporem, alter patinam peteret, neq; etiamnum aſſequeren
tur Lacedæmonij quid ſibi catulis illis oſtendendis veller:
hi, inquit, iſdem nati parentibus, diuerſa educati ratione,
ventri alter deditus, alter venaticus euaserunt. Diſtum ſatis
de adſuefactione & vitæ institutione. Conſequens eſt vt de
nutritione diſſeramus. Mea quidem ſententia matres ipſæ
nutrire infantes atq; lactare debent. maiore enim cum ad-
fectu animi alent eos, maioreque ſtudio, vt pote intime, & à
teneris (quod aiunt) vnguiculis diligentes. Nutricum enim
amor ſubditiuus atque adſcitiuus eſt, vt pote mercedis gra-
tia diligentium. Sed & ipſa natura docet ipſis matribus la-
ctandam eſſe atque alendam ſuam prolem. ideo enim cui-
uis animali parienti alimentum lactus ſuppeditauit. ac pla-
ne ſapiens eſt prouidentia, quæ bina mulieribus vbera de-
dit, vt etiam ſi gemellos partu edidiſſet, vterque haberet a-
limenti ſui fontem. Abſque etiam hoc eſſet, tamen iſto mo-
do matres liberis redderentur beneuolentiores, amorem-
que erga eos maiorem conciperent. neque id iniuria. con-
uictus enim quaſi intentio quædam eſt beneuolentiæ. quan-
do etiam à beſtiis ademptas alias quarum vſæ erant conui-
ctæ, deſiderari videmus. Maxime igitur, vt dixi, tentandum
hoc eſt, vt ipſæ matres mammam ſuis præbeant infantibus.
Sin id præſtare nequeant, vel ob corporis inualetudinem,
(vſu enim hoc venire poteſt) vel quia ad nouæ ſobolis feſti-
nant procreationem: ſaltem nutrices non quaſuis, ſed quæ
feri poteſt maxime probas deligamus. Primum in hac re
ſit, vt motibus eæ ſint Græcanicis. Sicut enim membra cor-
poris ſtatim ab ipſis natalibus infantis ſunt ſingenda, vt re-
cta adoleſcant, neque diſtorqueantur: ita & iam inde ab
initio in dolens eius informanda eſt. Eſt namque puericia ob
molliciem effectû facilis, animiſque puerorum teneris et
iamnum facile inſidet quod diſcunt. ſicut contra quæ dura
ſunt, ea diſſiciliter molliuntur. Et ſicuti ſigilla mollibus
imprimuntur ceris, ſic diſciplinæ puerilibus adhuc animis
inſiguntur. Ac mihi videtur diuinus Plato nutricibus pru-
denter præceptiſſe, ne quaſuis fabulas pueris recitent, ne ho-

*Quomodo
nutriendi
liberi.*

*Ad finem
ſecundi de
repub.*

ruia

LXXX
rum animi p...
Sed & Pl...
Ceterum ne...
Iros qui al...
qui bonis...
ſem que...
collocat...
tentia m...
10 re vt ſub...
nit, vt tam...
eſt accuſat...
cipit per...
plus quam...
15 nit: qui cum...
cultura, ſed...
ſiracione ſe...
quod in...
ad omnia...
10 autem bou...
nix Achille...
que lactus...
gredat. Qu...
para ſit...
15 perna m...
beneſit...
bus pedum...
cepit ad...
res ſe...
10 tantum...
magis...
aut cum...
mat...
non hoc...
15 peccat...
liber...
rum qu...
ſos man...
et, vel...
de...
15

rum animi à principio stoliditate ac prauitate occupentur. Sed & Phocylides videtur bene hortari hoc versu,

Instituenda bonis est ipsa puercia rebus.

Cæterum ne id quidem prætermittendum est, debere pueros qui alumnis inseruiant, vnaq; alentur quæri, primum qui bonis sint moribus, deinde Græco vtantur eoq; plano sermone: ne cum barbaris & prauos habentibus mores si consuescant, inde aliquid vitij ducant. pro uerbo enim sententia minime absurda iactatur, Si cum claudio habites, forte vt subclaudicare discas. Postquam eò ætatis puer peruenit, vt iam sit pædagogus subdendus, ibi tum adhibendus est accuratio, ne filios nostros per imprudentiam mancipiis, aut barbaris, aut leuibus hominibus tradamus. Nam plus quam deridiculum est, quod hodie plerisque vsu venit: qui cum seruorum quos habent probos, alios agriculturæ, alios rei nauticæ, alios mercaturæ, alios administrationi rei familiaris, alios vsuræ exercendæ adhibeant: si quod inueniunt mancipium ebriosum ac gulæ deditum, & ad omnia inutile negocia, id liberis præficiunt. Oportet autem bonum pædagogum eo esse ingenio, quo fuit Phœnix Achilles pædagogus. Nunc quod omnium est eorum quæ hæcenus dixi maximum atque summum, dicere aggrediar. Quærendi sunt liberis magistri, quorum & inculcata sit vita, & mores iustæ reprehensionem non obnoxij, & peritia minime vulgaris. Fons enim & radix virtutis atque honestatis vitæ, est institutio proba. vtque agricolæ stirpibus pedamenta apponunt: sic probi magistri accuratis præceptis admonitionibusq; adolentes suffulciunt, vt mores recti inde germinet. Nunc verò etiam despuas in contumeliam quorundam parentum, qui prius quam futuri magistri vllum fecerint periculum, ignoracione aliquando aut etiam imperitia decepti, non spectatis, adeoque etiam malæ notæ hominibus filios suos committunt. Quanquam non hoc est vsque adeo ridiculum, si quidem imprudentia peccatur. Illud extreme absurdum, quod aliquando monentibus qui id melius norunt, scientes quanta sit magistrorum quorundam imperitia iuxta atque prauitas, iis tamen suos mandant liberos: vel adulationibus blandientium victi, vel rogantibus eam amicis gratiam dantes. quod perinde est, ac si quis ægrotans omisso qui arte mederi posset medico,

Pædagogus.

Magistri, seu præceptores quales quæramus.

dico, in amici gratiam deligat à quo ob eius inſcitiam ne-
 cetur: aut repudiato nauis optimo rectore, amico petente
 peſſimum deligat. Prò deũ atq; hominum fidem! patris
 nomen gerit aliquis, & maiorem habet rationem gratiæ pe-
 tentium, quam liberũ inſtitutionis? Nonne conſenta-
 neum eſt, quod antiquus ille Crates dixit? ſe, ſi fieri poſſet,
 altiſſimo vr̄bis loco conſenſo proclamaturum: Quò ten-
 dicis homines? qui rei faciundæ omne impèditis ſtudium:
 filiis, quibus opes veſtras relinquitis, curã perparuã? Qui-
 bus ego adderem, Tales patres perinde agere, ac ſi quis de
 calceo ſit ſolicitus, pedem nihil curet. Multi etiam parètes
 eò progrediuntur & auaritiæ & in liberos ſuos odij, vt ne
 maiorem opus habeant mercedem pendere, magiſtros fi-
 liis conducant homines nullius precij: inſcitiam ſectantes
 vilem. Quam ob rem Ariſtippus patrem excordem neq; in-
 elegante, & perurbano ſermone pupugit. à quo interroga-
 tus quantum mercedis pro filij ſui inſtitutione poſceret,
 Mille denarios reſpondit. eoq; exclamãte, Hercules, vt val-
 de nimium exigis, cum poſſim mille denariis ſeruum eme-
 re. Proinde, dixit, duo habebis mancipia, filium ſcilicet tuũ,
 & id quod emeris. Denique qui non ſit abſurdum, cum ad-
 ſueſcias puerum vt alimentum dextra ſumat manu, incre-
 peſq; ſi læuam potrigat: nullam interim te curã adhibere,
 vt dextros probosq; iſ ſermones audiat? Iam quid eueniat
 mirificis iſtis parentibus, poſtquam liberos male enutritos
 male inſtituerunt, audi. Poſtquam hi ſumta iam virili toga,
 contemto ſano & compoſito vitæ ductu, in incompoſitas
 atq; ſeruiles voluptates ſeſe præcipitauerunt: tum demum
 eos pœnitet neglectæ liberorum inſtitutionis, mœrorem ex
 eorum ſceleribus percipientes, quem nulla ſubſequitur vti-
 litas. Alij enim adulatores ſibi adiungunt ac paraſitos, ho-
 minum genus prauum & execrabile, perniciem peſtème que
 iuuentutis. alij ſcorta & meretrices redimunt proteruas at-
 que ſumtuofas. alij abliguriunt ſua. alij in aleam & comef-
 ſationes à recto vitæ curſu efferuntur. ſunt qui & maiora
 audent flagitia, adulterantes, orgia Bacchi obeuntes, & vel
 vnã voluptatem morte redimendam purantes. Qui ſi ver-
 ſati cum philoſopho aliquo fuiſſent, nunquã profecto tali-
 bus ſeſe emancipallent rebus: ſed Diogenis ſaltem præceptũ
 didiciſſent. qui verbis quidẽ inſolentibus, vere tamen quod
 ad res

*Dictum
Cratesis.*

ad reſiſtas acciſſe
 vt diſcas abſolue
 na ſumma rem tuam
 potius quam
 eſſe primũ
 dicatione reſiſtas
 colere & ad
 adq; ſeſcitiam
 qua, neq; digna
 10 res eſt præſentium
 vitæ in præſentibus
 det: qua eſt in
 tribus obſerua
 iſ qui cupit
 11 inſolentibus &
 dicitur. Gloria
 do optabiliſ. ſed
 res eſt eodem
 voto, ſed morbo
 12 no verbo dicitur
 debet ſe a vero
 cum aliorum
 torum pura, cum
 bis adſueſcit
 13 nim duo in hominibus
 Mens & Ratio. quæ
 impeta caligant
 minus adſueſcit
 ſunt ſolentibus
 14 max illa ſeſcitiam
 iſ in morbo
 Ac mibi videtur
 reſiſt præſentibus
 garum conſuetudine
 15 garus eſt quod
 dicit: neq; enim
 conſuetudine
 quædam quæ
 eſt: purant. Igitur
 & doctriſina purant

ad res ipsas attinet, monuit, Ingredere lupanar aliquando, ut discas nihilne res honestæ ab indignis differant. Ut aut vna summa rem totam explicem, etsi haud iniuria vaticinari potius quam præcipere videri possum, ita pronuncio: Vnū esse primū, idemq; & medium & vltimū in hac re caput, educationē rectam, legitimamq; institutionē. atq; hæc ego cōducere & adiumentum ad parandam virtutē adferre atq; adq; felicitatē. Nam reliqua quidē bona, humana sunt, exigua, neq; digna in quæ operam impendas. Nataliū splendore res est præclara sane: sed bonum à maioribus profectū. Diuitiæ in precio sunt: verū earum possessio à fortuna pendet: quæ eas sæpenumero ademit habentibus, & non speratibus obtulit. magnæ opes tanquam scopus propositæ sunt iis qui cupiunt loculos exhaurire, seruis maleficis, ac calumniatoribus. & quod maximum est, etiam pessimis adsunt diuitiæ. Gloria res est vt venerabilis, ita instabilis. Pulcritudo optabilis, sed paruo durans tempore. Sanitas preciosa res est, eademq; facile mutatur. Robur digna res est laude ac voto, sed morbo ac senectute facile aboletur. quanquam, vt vno verbo dicam, qui ob vires corporis sibi plaudit, scire debet se à vero aberrare. quantum enim est hominis robur cum aliorum animalium robore comparatum? elephantorum puta, taurorū, leonum? Doctrina omnium quæ nobis adsunt bonorum sola immortalis est & diuina. Sunt enim duo in hominis natura principatum facile obtinentia, Mens & Ratio. quorum Mens rationi præest, Ratio mentis imperia exsequitur. hæc fortunæ non obnoxia, nulla calumnia auferri, nullo morbo corrūpi, senectute lædi nō possunt sola enim mens senescēs iuuenescit, & tēpus cum adi-
 30 mat alia, senectuti apponit scientiam. & bellū cum torrentis in morē omnia prouat, solam doctrinā auferre nequit. Ac mihi quidem videtur dignū memoratu Scilponis Megarensis philosophi dictū. qui a Demetrio, quo is tempore Megaram ciuibus in seruitutē abductis solo æquauit, interrogatus ecquid suarum rerū amississet, Nihil se amississe respondit: neq; enim bellū virtutem inter spolia capere. Cui concinit atque consonat Socratis illud, qui Gorgiæ (ni fallor) querenti quid de Persarum rege sentiret, & an eum felicem esset: putaret, Ignorare se respondit, quod nesciret, Virtute & doctrina præditus esset, necne. scilicet in his felicitatem,

*Bonorum
humanorum
comparatio.*

*Institutio
Vera & sa-
lutaris te-
nenda.*

*Hippol.
coron.*

*Ex tempo-
re dicere.*

non in fortunæ obnoxiiis bonis ponebat Socrates. Porrò quemadmodū hortor, vt institutione liberorum nihil habeamus antiquius: ita rursum moneo, sectandam esse eam, quæ corruptelarū vacua & sana sit rationē. & à nugis istis ad populares cœtus comparatis quam longissime abducendū s filios. Vulgo enim placere, sapientibus est displicere. Testimonium mihi perhibet Euripides his verbis,

Ad turbam ego Verba facere sum imperitor,

Inter sed æquales paucosq; doctior.

Habet hoc locum. nam qui inter doctos nil valent,

Gratior apud vulgum est eorum oratio.

10

Equidem animaduerti, qui in eo studium suum ponunt, vt dicendo placere promiscuis turbis hominum, eorumq; reportare possint gratiam, eorum vitam fere intemperantem voluptatibusq; deditam existere. idq; optimo me hercle iure. qui enim ita se comparant, vt hominibus nullam honestatis rationem ducentibus voluptates concilient, multum abest ij vt propriæ oblectationi atque luxuriæ prælaturi sint ea quæ recta sunt atque sana, aut pro dulcibus moderata sectaturi. Ad hæc, quid pueros vile docebimus aliud, aut quibus eos bonis in hære iubebimus? Pulcrum est profecto nihil frustra neq; dici, neq; agi: & in prouerbio est, difficilia esse ea, quæ sint pulcra. Verùm orationes ex tempore habitæ, plenæ sunt multæ leuitatis atq; vanitatis, neq; initium habentes aptum, neq; finem. Ac præter alia delicta, qui subito dicunt, in periculofam incidunt verborum redundanti- 25
tiam atq; loquacitatem. cum meditatio non sinat orationem modi proportionem finesq; transilire. Narrant Periclem sæpenumero vocatum à populo, non obtemperasse, quod se negaret esse præmeditatum. Eodemq; modo De mosthenes æmulus eius in repub. gerenda rationis, cum ab Atheniensib. ad consilium dandum vocaretur, recusauit, se non esse commentatum secum rem inquiring. Verùm hæc fortassis nullo autore tradita sint, & conficta. In oratione quidē Meidiana euidenter commendat meditationis vili- 35
tatem. sunt enim hæc eius verba. Ego verò, viri Athenienses, meditatum me esse profiteor, neq; inficiabor me quantum omnino in me fuit, studiose commētatum esse orationem. profecto enim miser essem, si talia perpeffus, atq; etiam nū sustinens, ea neglexissem, quæ in mea mihi causâ erant
dicen-

dicenda. Interim ego
probandum profero.
quod si illar meditati
te vitem atque v
mentum occurr
inuitante occasi
atmodum quod
tunam vinctum
tribuantur qu
10 reuocantur
hilominus eand
nent. Ad hoc par
pore dicant
quendam magis
15 quam fabio d
fandi. Video v
id miror, quod
ris. Sicut v
theatrali m
10 am dictio
aque fugax
pta est. & nim
ris. ac fieri
esset oratio
25 re debet. tunc
periculo sit
demq; est me
rorem. per
illud impo
30 aniam par
nibus Mediu
memini, vob
tionem ego
rum bonam
35 in eam
se dia plac
rem adim
a ditionib
um ac cas
cycia dicitur

dicenda. Interim ego promittitudinem differendi neq; improbandam prorsus, neque rebus non dignis adhibendam aio: sed instar medicamenti vsurpandam censeo. tamen ante virilem aetatem non permitto ad subito oblatum argumentum orare. vbi facultas differendi radices egerit, tunc inuitante occasione libere vti oratione licebit. Nam quem admodum qui diu fuerunt vincti, postmodo soluti, ob diuturnam vinculorum consuetudinem ambulare nescientes titubant: ita qui orationem multo à tempore constrictam tenuerunt, ijeriam si aliquando oporteat subito dicere, nihilominus eandem tamen interpretationis formam retinent. Adhuc puericiam agentibus vero permittere vt ex tempore dicant, causam præbet extrema vaniloquentia. Ferunt quendam ineptum pictorem Apelli imaginem ostendisse, quam subito à se pictam diceret. tulisseque id ab Apelle responsi: Video vel te tacente eam esse festinanter pictam: sed id miror, quod non plures tales eo spacio temporis pinxeris. Sicut igitur (redeo enim ad institutum) orationis formam theatralem nimisq; tragicam iussi, ita rursus iubeo nimiam dictionis humilitatem atque exilitatem *Oratio nimis exilis.* attente vitare atque fugere. nam & nimio turgens fastus ad res ciuiles inepta est: & nimis gracilis nihil habet ad percellendum roboris. ac sicuti corpus non sanum modo, sed & firmo habitu esse: sic oratio non morbo tantum carere, sed & vires habere debet. tuta enim laudantur duntaxat, quæ etiam cum periculo sunt coniuncta, porro & in admiratione sunt. Eademq; est mea de animi affectione sententia, quem neq; ferocem, neq; inaudacem deiectumq; esse conuenit. quorum *Animi moderatio.* illud impudentia, hoc seruili cuidam submissioni mentis ansam præbet. artificiosum vero est, atq; accuratum, in omnibus Medium tenere. Ac dum adhuc institutionis huius memini, volo meam de oratione sententiam exponere. Orationem ego prorsus vniformem primum pro signo litterarum bonarum imperitiæ non paruo reputo. deinde eam & in exercitatione statuo fastidium gignere, & plane non posse diu placere. Vbiq; enim vnus tenoris cantilena satietatem adfert, & offendit. varietas delectat & hic & vbiq; vt in auditionibus & spectaculis. Oportet ergo puerum ingenuum ne eas quidem disciplinas, quæ ob vulgarem vsum Encyclia dicuntur, inauditas incognitasque præterire. verum

eas in transeursu veluti gustus percipiendi gratia disceres
 (nam in omnibus perfectionem consequi nemo potest) phi-
 losophiam vero serio colere. possumque meam sententiam
 hac similitudine exponere: Quod pulcrum quidem est cir-
 ca multas vrbes nauigare, vtile autem præstantissimam in-
 habitare. Urbanum est etiam Bionis philotophi dictum,
 qui aiebat, sicut Penelopes proci cum non possent cum Pe-
 nelopa eodumbere, rem cum eius ancillis habuissent: ita
 qui philosophiam nequeunt apprehendere, eos in aliis nul-
 lius precij disciplinis sese contere. Itaque reliquorum stu-
 diorum quasi caput & summa, cõstituenda est philosophia.
 Etenim ad corporis curationem duæ inuete sunt ab homi-
 nibus scientiæ, Medicina & Gymnastice: quarum altera sa-
 nitatem, altera firmam sani corporis constitutionem con-
 ciliet. Animi autem ægritudinibus atq; motibus sola mede-
 tur philosophia. Hac duce & comite cognoscere datur quid
 honestum sit, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, quid
 ad summam experendum, quid fugiendum, quomodo nos
 erga deos, erga parentes, seniores, leges, alienos, magistra-
 tus, amicos, vxores, liberos, seruos gerere debeamus. scili-
 cet, vt veneremur deos, parentes honore afficiamus, senio-
 res reuereamur, legibus obtemperemus, amicos diligamus,
 vxores caste amemus, liberos animi interno quodam amo-
 re complectamur, seruos iniuriose non tractemus. & quod
 summum est, neq; rebus secundis efferamur gaudio, neque
 aduersis nimio lætũ deiciamur: ac neq; voluptatibus dis-
 fluamus, neq; ira ad sæuiciam nos abripi sinamus. quæ ego
 omnium nobis à philosophia obtingentium bonorum an-
 tiquissima iudico. Fortuna enim prospera ingenue vti, viri
 est officium: citra inuidiam, hominis moderati: ratione vin-
 cere voluptates, sapientis: iram compescere, non cuiusuis vi-
 ri. Perfectos autem viros ego eos censeo, qui norunt facul-
 tatem ciuilem permiscere & contemperare cum philoso-
 phia: duoq; illos summa bona existimo adipisci, vt & in re-
 publica versando communis vitæ vsum augeant, & philoso-
 phiam tractando vita fruantur tranquilla ac sedata. Cum
 enim tria sint viuendi genera, vnum in agendo, alterum in
 contemplando, tertium in perfruendis voluptatibus occu-
 patum: qui tertium hoc sequitur, dissolutus & voluptatum
 seruus, belluarum similis abiectusq; est. contemplator, si a-
 tionib.

*Philoso-
 phia præ-
 stantia, &
 vtilitas.*

*Homo per-
 fectus.*

*Vita ratio-
 nes.*

Lib. I.
 dicitur dicitur
 phia agitur
 dam est vt
 sine philoso-
 phia Archy-
 das Thobas
 familiaris
 rationi de
 vtile est
 10 ratio-
 secundum
 tam doctri-
 scientiam
 11 vt in
 corporis
 ria nam
 firma
 admodum
 10 vult
 nem &
 beri per
 ri ad
 10 solum
 11 quora
 ditorum
 militaria
 nationibus
 paxima
 10 tui
 licis ad
 ges dicit
 orum pax
 paxipar
 11 tui
 et dicit
 omnia
 facti in
 11 cu
 illi citat

tionib. abstineat, inutilis: rebus gerendis deditus philosophiæ ignarus, rudis est & facile errat. Pro virib. igitur enitendum est, vt & publica tractemus, & quatum ratio temporis finit, philosophiæ nos demus. Sic in repub. versati sunt Pericles, Archytas Tarentinus, Dio Syracusanus, & Epaminondas Thebanus. de quibus posteriores duo Platonis fuerunt familiares. Neque iam puto verbosius immorandum disputationi de recta eruditione. Præter autem ea quæ diximus, vtile est etiam, aut necessarium potius, vetustorum commetiorum coemtionem non negligere, sed & ista colligere* *Bibliorhe-*
 secundum agriculturæ rationem* eodem modo instrumē- *ca.*
 tum doctrinæ est vsus librorum, & à fontibus conseruare scientiam vsu venit. Verum ne corporum quidem exercitatio est prætermittenda, sed mittendi in ludum eius rei pue- *Corporis*
 ri, vt in eo genere quantum est satis elaborēt, cum propter *exercitia-*
 corporis concinnam conformationem, tum roboris gra- *tio.*
 tia. nam bonæ senectuti fundamentum in puericia iacitur, firma nimirum corporis ad sanitatem constitutio. Quem- *admodum* igitur tranquillo cœlo adornanda sunt quæ ad- *uersus* tempestates faciunt: ita in adolescentia moderati- *onem & temperantiã* ad viaticum senectuti parandum adhiberi par est. Sic autem labori moderandum est, ne eo exsiccati ad litterarum studia animum despondeant. nã, vt ait Plato, somni & defatigationes, disciplinarum sunt hostes. Sed *7. de rep. in fine.*
 quorsû hæc? quin id propero dicere potius, quod præcipuã *Melissa.*
 dictorum iam vim continet. Exercendi sunt adolescētes ad militaria opera iaculorum & sagittarum missionibus, ac venationibus. Eorum enim qui in præliis succumbunt bona, præmia victorib. sunt proposita. bello vero corporis habitus in umbra educati non conuenit. gracilis autē miles bellicis adfuetus certaminibus, athletarum & hostium phalanges discit. Enimvero obiciat aliquis, me, qui de ingenuorum puerorum educatione præcepta daturû promiserim, *De pauperum & plebeiorum præterita institutione, solis pro-*
 pauperum & plebeiorum præterita institutione, solis pro- *ris institutio-*
 siteri diuitibus me rationem præscribere. Cui respondere nõ *endit.*
 est difficile. Nihil enim ego malle, quam meam doctrinã omnib. in vniuersum esse vtilem. quod si tamen quidam ob suam inopiam vti meis præceptis non poterunt, fortunam ij culpent, non me talia præcipientem. Veruntamen provizili etiam pauperib. annitendum est, vt quam optime suos educent

educunt liberos. sin id non datur, ea vrantur qua datur rati-
 one. Atq; hæc ego orationis cursui inserui, vt deinceps reli-
 qua etiam ad rectam adolescentum institutionem condu-
 cētia attexere possim. Sic itaq; dico, Ad liberalia studia ad-
 ducendos esse pueros verbis adhortationibusque, non me
 Hercle verberibus, aut contumeliosa tractatione. hæc enim
 seruis magis quam liberis conuenire videntur: torpentq; &
 abhorrent sic tractari à laboribus, partim ob dolores plaga-
 rum, partim ob contumelias. Laudationes autem & vitu-
 perationes quauis contumeliosa tractatione plus valent a-
 pud ingenuos: illæ ad pulcra incitantes, hæc à turpibus ar-
 centes. Alternis porro vicibus increpationes & collaudati-
 ones sunt adhibendæ, vt & cum exultant animi, reprehen-
 sionibus ad pudorem redigantur: & cum deiecti sunt, rur-
 sus laudibus erigantur. imitandæq; in hoc genere nutrices,
 quæ infantes cum ad sletum prouocarunt, rursus vt con-
 solentur mammam præbent. Est vero ex usu, eos non infla-
 re & ad superbiam extollere nimiis laudibus. nam harum
 excessum vanitas quædam & luxuria animorum comitari
 solet. Ac vidi ipse patres, quibus nimius amor causa fuit ne
 amarent vere. vtq; intelligi possit quod dico, exemplo rem
 faciam dilucidiorē. Dum festinant eo vt filij ipsorum pri-
 mas in omnibus rebus ferant, immodicos eis imponunt la-
 bores. ad quos ij animo elanguescēte deficiunt, ærumnis-
 que alioquin oppressi, doctri nam æqua mente non admit-
 tunt. Quo enim modo stirpes mediocribus aquis aluntur,
 abundantibus suffocantur: eodem animus etiam modera-
 tis crescit laboribus, nimiis obruitur. Danda est ergo pueris
 à continentibus laboribus respiratio: idque in animo ha-
 bendum, totam nostram vitam in remissionem esse, serium
 que studium diuisam. quam ob causam non vigilia modo,
 sed & somnus inuentus est: neque bellum duntaxat, sed &
 pax: neque sine serenitate tempestas, neque seria negocia
 tantum, sed & feriæ. vtque vnam in summam cōtrahamus,
 Requies laborum est condimentum. Neque in animalibus
 solis, sed & rebus anima carentibus, id deprehendas. nam &
 arcus & lyras remittimus, vt intendere possimus. atque in
 vniuersū seruatur corpus impletione atq; vacatione, ani-
 mus autem remissione & labore. Culpandi autem sunt pa-
 rentes nonnulli, qui postquam filios suos pedagogis ma-
 gistrisq;

*Plaga &
 contume-
 lie insinu-
 entium.*

*Item lau-
 dationes
 & incre-
 pationes.*

Requies.

*Inspectio
 parentum*

Livius
 gistris, commentariis
 ciant raquam, neque
 oportebat eam quæ
 de explorare partem
 iurare commen-
 gestiam pariter
 sibi mentem
 hinc loco eleganter
 bat nihil esse, quod
 10 gis. In primis
 adfectu ob
 ois camp
 fibulam fuisse
 gignere & am
 15 per vtroque mod
 valeat memora
 quam natural
 munitate vt
 ciare ab Heculo
 20 Nam
 Et crevis
 Neid quidem
 do exercitum
 & ad cives
 25 nam pater
 bene consilium
 à turpitudine
 onis sit vider
 que colloque
 30 orum motu
 in colloque
 dispartitum
 enim tantum
 cipitatem
 35 tum Calisto
 tellem iustit
 verbis,
 Diem
 Quo
 Admittit

gistrisq; commendauerant, ipsi quid discatur neque inspi-
 ciunt vnquam, neque inaudiunt: magno sane cum errore.
 oportebat enim ipsos interuallo paucorum dierum subin-
 de explorare puerorum profectus, neque in mercenarij vo-
 5 luntate omnem spem collocare. qui & ipse maiorem dili-
 gentiam pueris instituendis erat impensurus, si identidem
 sui sibi muneris rationem reddendam fore sentiret. Atque
 huic loco eleganter conuenit equisonis illius dictū, qui aie-
 bat nihil esse, quod perinde faginaret equū, atq; oculus re-
 10 gis. In primis porro puerorum memoria est exercenda atq; *Memoria.*
 ad suefactione roboranda. ea enim est veluti penus eruditi-
 onis. eamque ob causam Mnemosynen, hoc est memoriam,
 fabulari sunt esse Musarum matrem, inuentes nihil ita &
 15 gignere & alere eruditionem, vt facit memoria. Quapro-
 pter vtroque modo exercenda ea est, siue naturæ beneficio
 valeant memoria pueri, siue obliuiosi sint. Sic enim & co-
 piam naturalem confirmabimus, & quod ei deest implebi-
 mus: atque vt illi alios, ita hi se ipsos vincant. Est enim præ-
 clare ab Hesiodo dictum,

20 *Nam si vel paruum pergas super addere paruo,
 Et crebro id facias, ingens exsistet aceruus.*

Operibus.

Ne id quidem ignorent parentes, memoriæ viri in discen-
 do exercitatum non ad eruditionem modo conducere, sed
 & ad ciuiles actiones non modicum adferre adiumentum.

25 nam præteritarum actionum memoria exemplar præbet
 bene consultaturo de futuris. Præterea abducendi sunt filij *Sermo.*
 à turpitudine sermonis: cum autore Democrito sermo acti-
 onis sit umbra. Deinde opera est danda, vt affabiles fiant, in-
 que colloquio comes. nihil enim ita dignum est odio, vt e-
 30 orum mores, qui compellantibus se difficiles præbent. Iam
 in colloquiis pueri in uisi aliis non fient, si non omnino in
 disputationibus victoriam semper obtinere laborent. Non
 enim tantum egregium est scire vincere, sed etiam posse vin-
 35 ci pulcrum est, ubi victoria est damnosa. cum sit reuera et-
 iam Cadmeia quædam victoria. Possumq; huius sententiæ
 testem laudare Euripidem illum sapientem, cuius hæc sunt
 verba,

*Dicentibus duobus, irato altero,
 Qui non repugnat dictis, est sapientior.*

Addamus his ea, ad quæ non minore quam dicta hæc sunt,
 immo

*Præcepto-
rum conge-
ries.*

*Ira coerci-
tio.*

immo & maiore studio est contendendum. Sunt autem hæc. Vita degenda est sine luxu, lingua coercenda, ira superanda, manus continenda. quæ quanti sunt momenti, singulorum exemplis propostis melius innotescet. Vtq; à postremo ordiamur, nonnulli dum iniustis pecuniæ capturis manus adiiciunt, omnem actæ vitæ gloriam fecerunt irritam. vt Gylippus Spartanus qui nummorum publicorū sacculos cum aperuisset, actus est in exsiliū. Ira autem superiorem esse, sapiētis est. Socrates calce impetitus ab adolescente admodum feroce & impuro, cum suos videret indigne id ferre ac fremere, adeo vt illum in ius quoque trahere cogitarent: Quid ergo, inquit, an si me asinus calce feruisset, iusfuri eratis vt contra calcē ei impingerem? Neq; tamen inultum plane id adolescens tulit, sed omnib. ei facinus hoc exprobrantibus, calcitronemq; appellatibus, suspensio vitæ sese exiit. Idem Socrates, quando Nebulis fabula edita Aristophanes in ipsum omnis generis conuicia iaciebat, iisque in scena recitatis amicorum quidam dicebat, Non ista moleste fers Socrates: nequaquam vero, inquit. nā in theatro, veluti in magno conuiuio, verbis vexor. Horum germana sunt atq; iis coniuncta Archytæ Tarentini & Platonis facta. Ille cum à bello, in quo exercitum duxerat, reuersus agrum offendisset ob incuriam vitium contraxisse, accersito colono, Male, inquit, tecum ageretur, nisi ego admodum ira exarsissem. Plato seruo guloso & impuro iratus, vocato filio fororis suæ Speusippo, Hunc tu, inquit, verbera. ego enim animo sum valde commotus. Diceres, difficilia sunt hæc, neque ad imitandum procliuiā. Fateor. Sed tamen his exemplis vtendum est, summisque conandum viribus, vt abundantiam intemperatæ insipientisq; iræ aboleamus. Nā neque aliis in rebus eorum æquamus vel peritiam vel virtutem: nihilominus veluti deorum quorundam sacerdotes ac facigeri sapientiæ, facta eorum, vbi fieri potest, imitari sectarique nitimur. De frænanda lingua restat vt dicamus. quam rem qui exigui momenti aut vilem putat, plurimum à vero aberrat. Tempestiuum enim silentium res est sapiēs, ac quauis oratione potior. Eaque, opinor, de causa prisci mystica sacra instituerunt, vt in his taciturnitati aduescerent, ad fidem humanorum arcanorum metum deorum trāferremus. Et quidem tacuisse neminem pœnituit, dixisse permul-

permultos. ac quod tacitum fuit, facile datur eloqui: quod
 dictum est, indictum fieri nullo pacto potest. Sexcenta au-
 ditu me percepisse memini exempla eorum, qui ob linguæ
 licentiam in grauissimas inciderunt calamitates. quorum
 5 reliquis omiſſis vnum duntaxat atque alterum proſpecimi
 ne adducam. Cum Ptolemæus Philadelphus ſororem ſuam
 Arſinoë in vxorem duxiſſet, Sotades, quod ei dixiſſet ipſum
 in nequaquam licitum foramen intrudere aculeum, in car-
 cere per longum tempus contabit: pœnamque dedit im-
 10 portunæ loquacitatis non indignam, qui vt aliis riſum mo-
 ueret, multum ipſe fleuit temporis. His æqualia & conſen-
 tanea, immo grauiora multo paſſus eſt Theocritus ſophi-
 ſta. Cum enim Alexander Græcis mandaret, vt purpureas
 ſibi veſtes pararent, quippe domum reuerſus è bello ſacrifi-
 15 cium de parta è barbaris victoria peracturus, eoq; nomine
 gentes pecuniam viritim contribuere: aiebat Theocritus
 ſe aliquando dubitaſſe, nunc autem liquido ſentire, hoc ip-
 ſum eſſe purpuream, quam Homerus dixiſſet, mortē. qua *Iliad. 2, 83*
 voce Alexandrum ſibi inimicum reddidit. Idem Antigo-
 20 num Macedonia regem altero carentem oculo, cum vitium
 hoc ei exprobrat, aſſerit ad iram non mediocrem prouocauit.
 iubebat is Eutropionem coquorum principem, qui munus
 aliquod geſſerat, ad ſe venire ac rationes ſecum conferre.
 quod cum hic ei renunciaret, ac ſapientius accederet, ſcio, in-
 25 quit Theocritus, quod me crudum vis Cyclopi apponere,
 huic quod coquus, illi quod vno oculo eſſet exprobrans. &
 Eutropio, Ergo, ait, tu capite mulſtaberis, eaſque dabis lo-
 quacitatis iſtius tuæ atq; inſaniæ pœnas: ac regi rem renun-
 ciauit, qui & miſit qui Theocritum interficeret. Præter hæc *Veritas.*
 30 omnia, ad ſuefaciendi ſunt pueri vt vera dicant, qua in re ſū-
 ma eſt ſanctimonia. mēiti enim ſeruile eſt, dignumq; apud
 omnes homines odio, ac ne mediocribus quidem ſeruiſi-
 gnoscendum. Atque hæc quidem de pueris decore & ad
 35 modeſtiam inſtituendis hæcenus nihil dubitans aut ambi-
 gens diſſerui. Quod reſtat dicendum, dubium me tener, an
 cipitemq; in deliberando adfert curam, ac quaſi in trutina
 poſitus in vtranque partem momentis impellor, neutri in ſi-
 ſtere valeo. valdeque cunctor rei huius vel autor fieri, vel
 diſſualor. Audendum tamen eſt, & eloquenda reſ. Eſt au-
 tem hæc quæſtio, An amatores puerorum ſiſtere debeamus
 vti co-

vti eorum consuetudine, an vero potius ab iis arcere. Cum enim intueor in patres suo sensu omnia metientes, moribusq; crudos & austeros, qui consuetudinem amatorum ob contumeliam liberorum intolerabilem purant: vereor eius autor esse atque suafor. Rursus cum in mentem venit Socratis, Platonis, Xenophontis, Aeschinis, Cebetis, totiusq; chori istorum virorum, qui masculos approbauerunt amores, adolescentulosq; produxerunt ad doctrinam, popularem rationem, morumque honestatem: sententiam muto, flectorque admiratione & æmulatione istorum virorum. Atque his quidem etiam Euripides testimonio hoc fauet.

Sed est & alter inter mortales amor,

Iustique castique animi scilicet, ac probi.

Non tamen omittenda est Platonis sententia quæ seriæ rei admixtam habet vrbanitatem. ait enim permissum debere esse iis, qui re præclare gesserint, vt quemcunq; velint osculentur. Etenim arcendi sunt, qui pulcritudinem corporis spectant: animæ autem amatores omnino deligendi: & amores quidem, quales Thebis sunt & Elide & quæ in Creta vocatur Saptio, fugiendi: æmulandi autem qui Athenis sunt & Spartæ. Sed hac de re quisque suam sequatur sententiam. Ego de puerorum moderatione & decoro hactenus locutus, de adolescentia porro pauca omnino subiiciam.

Adolescentes vtré genis.

Sæpenumero enim vituperavi malarum consuetudinum introductores, qui cum pueris pædagogos & magistros præfecissent, adolescentum impetus passi sunt libere ferri. cum contra hi maiore quam pueri cura atque custodia fuerint regendi. Quis enim nescit puerorum peccata exigua, planeque emendabilia esse: profecta scilicet à pædagogorum contemptu, aut quod magistrorum institutioni aliquando non obtemperarint. At iam ex ephēbis egredientium peccata sæpenumero ingentia fiunt & atrocia: ingluuius ventris, furta pecuniæ paternæ, alea, comestationes, potationes, virginum amores, adulteria. Quapropter iuueniles impetus accuratis rationibus vinciri ac compefci conuenit. Est enim vigor illius ætatis incontinens voluptatum, lasciuusq; & fræno opus habet: & qui ætatem istam non magno opere regendam suscipiunt, imprudentes animo licentiam qua ad flagitia feratur concedunt. Ergo cordatis parentibus sub id temporis maxime vigilandum est, vt custodiant adole-

adolescentes, ac intra modestiæ fines contineant, docendo, minando, rogando, consulendo, pollicendo, exempla demonstrando cum eorum, quos voluptatum studium in miseriam coniecit, tum qui abstinencia laudem sibi gloriâque parauerunt. Hæc enim duo quasi elementa sunt virtutis, Spes honoris, & Metus pœnæ. quorum illa incitatiores ad pulcherrima studia, hic segniores ad vitia reddit. In vniuersum vero malorum consuetudine hominũ prohibendi sunt pueri. nã affricatur illis aliquid inde vitij. Atq; hoc etiã

Malorum consuetudo.

Pythagoras suis monuit præceptorum inuolucris. quæ ego adducam atq; euoluam: momentum enim ad virtutem conferunt non minimum. Tale est, Non gusta quibus nigra est cauda. significat enim non consuefcendum cum hominib; ob maliciam nigris. Stateram ne transgrediaris: sum mam docet habendam esse rationem iusticiæ, neq; eius fines ex-

Aenigma- ta Pythagora explicat.

eundũ. Chœnici non inside. fugere iubet ignauiam, ac prospicere de necessario victu. Non cuius inuice dextram. hoc vult, non temere esse cum quoquam contrahendum. Angustum annulum non gesta. id est, vitæ genus liberum sectare, nec vinculo temetipsum obstringe. Ignem gladio non seruate. hoc dicit, iratos non esse irritandos, (est enim hoc indecorum) sed iis concedendum Cor ne edas. vult animã curis non esse affligendam. Fabis abstine. hoc est, reip. administrationem vita. nam olim magistratus per suffragia fabis lata creabantur. Cibum in matulam non iniice. præcipit prauo animo non esse elegantem orationem cõmittendã. est enim oratio cibus animi, quem cibum immundũ humana reddit peruersitas. Ad fines vbi peruenieris, non reuerito. monet, cum moriendum est, & finem vitæ instare videmus, æquo id animo esse ferendum, ac citra mœrorem. Sed eo, vnde digressa fuit, nostra se referat oratio. Sunt itaque pueri ab omnib; vt dixi, malis hominibus abstinerendi: maxime autem ab adulatoribus. Quod enim identidem & multis dice-

Adulator- res.

re parentib; consueui, nunc quoq; affitmo. Genus hominũ adulatoribus pestilentius nullum est, neque quod magis ac celerius iuuenes in perniciem præcipitet. Illi enim & parentes & natos radicitus perdunt, & inter consulendum esca voluptatis difficulter euitabili illicientes, parentum senectutem inxta & filiorum iuuentutem dolorum plenam reddunt. Diuitibus liberis parentes sobrietatem commédant,

b adula-

adulatores ebrietatem, illi continentiam, hi libidinem. illi parsimoniam, hi prodigalitatē. industriam illi, hi ignauiam. punctum (aiunt adēntatores) temporis est tota nostra vita, frui ea, non abuti ad alias res cōuenit. quid attinet nos minas patris curare: delirus est, & alterum pedem iam in sepulchro habet: mox illum sublimem arreptum efferemus. Non desunt ex iis, qui & scorta submittant, & nuptas prostituunt: & quæ parentib. erant senij viatica, interuertant atq; rapiant. Impuri sunt isti homines amicitiaē simulatores, libertatis imperiti, diuitum adulatores, pauperum contēto- 10 res, veluti lyrica quadā arte ad adolescentes decipiendos instructi, ad risum eorū qui ipsos alunt labia in risum diducētes, animi subditiā, ac vitæ spuriaē partes, ad nutum diuitum viuentes, fortunæ itatu liberi, insituito serui, ac se cōtumelia affici putantes, si non tractentur contumeliose, sed 15 frustra alantur. Quare si quis est pater sollicitus de bene educandis liberis, scēdum hoc pecus domo eiciat. Amoliatur etiam condiscipulorum prauos mores, qui satis habent virium ad corrumpeūdū vel optima ingenia. Atq; hæc quidē præclara sunt, & vtilia quæ subdā, humana sunt. Nam 20 parentes vicissim ego nolim vsque quaq; duro esse & aspero ingenio: sed sapenūmero eos quorundam peccatorum gratiam facere adolescētibus, sibiq; ipsi suam adolescentiam reuocare in memoriā. At quemadmodum medici amara medicamenta dulcib. succis permiscētes, oblectatione ad 25 vtilitatem, sibi accessum aperiunt: ita conuenit parentes reprehensionum seueritatem lenitate temperare: & interdū habenas cupiditatis filiorum laxare, interdum astringere. & maxime quidem peccata æquo animo ferre. vbi tamē fieri id nequit, dare operam, vt concepta ob delictum ira ce- 30 riter deslagret. Præstat enim patris iras subitas esse, quam graues. quia inensus & implacabilis animus patris, non leue est argumentum odij erga liberos. Conducibile est etiā nonnulla peccata liberū simulare parentes se non animaduertere: cumq; sub senectutem visus soleat auditusque 35 hebescere, eo istam sensuum imbecillitatem transferre, vt videntes quædam quæ aguntur, non videant, audienteq; nō audiant. Amicorum delicta toleramus: quid mirum, si etiam filiorum? quando etiam seruorum crapulam ebrietatemque sæpe non reprehendimus. Parcus aliquando fuis-
 sic

*Parentum
lenitas.*

Lib. I.
 sic etiam impudenter
 imolentibus re abrogant
 bonum ex agere ablatum
 cupit. nulli magis
 (maior adolecentium
 tationis delectatione
 rates, maxime in
 terreat vultum. &
 seq. nobilitate gratia
 te sepe: non enim dicitur
 melio le prauitate
 sed dicitur in
 adiecit. Nam p
 parentes nihil p
 15 agendo, p
 ut tam tan qu
 etiq; aduocant
 ipsi in eadem p
 mase lemop
 20 ne feruus quid
 lio: Quo acced
 doctores fun
 esse est id
 ad decora libe
 25 in iis elaborant
 esse & plus quib
 fer. prouocata
 cur. Cum quæ
 claret m
 30
 Dicitur
 Lysia
 Rom
 31
 Enimvero
 atque in
 quam man
 quidem h
 rationem quid

fac etiam impensas: indignatus es aliquando, ignosce vicissim: delusit te aliquando serui vsus opera, iram cohibe: par boum ex agro abduxit, venit aliquando hesternam olens crapulā, dissimula: vnguentū redolet, tace. sic lasciuens domatur adolescentia. Danda porro est opera, vt qui voluptatibus nimis dediti sunt, & reprehensionibus minus obtemperantes, matrimonio deuinciantur, quod est tutissimum iuuentutis vinculum. Vxores autem filiis despondebunt, quæ neque nobilitate generis, neque diuitiis multū eos superent. *Coniugiū*

10 sapienter enim dictum est, Tibi congruentem versa. & qui multo se præstantiores ducunt vxores, non mariti carum, sed dotis serui sua imprudentia fiunt. His pauca quædam si adiecero, finem præceptis imponam. Ante omnia debent *Exempla*

15 agendo, euidens sese liberis exemplum præbere: vt in istorū *Paventiā* ij vitam tanquā in speculum intuentes, à turpibus dictis, factisque auertantur. Etenim qui peccata filiorum increpantes, ipsi in eadem prolabantur vitia, ij se non sentiunt sub illorū nomine semetipsos accusare. Quorū vero tota vita turpis est, ij

20 ne seruos quidē obiurgādi libertatē sibi relinquūt, nedū filios. Quo accedit, quod tales patres scelerum cōsultores ac doctores suis sunt filiis. vbi enim senes sunt impudentes, necesse est ibi adollescentes quoque inuerecundissimos esse. Ergo ad decorā liberorū educationē quæcūque cōducere possunt,

25 in iis elaborandū est: æmulatione Eurydices. quæ cū Illyria esset & plus quā barbara mulier, tamen vt filios docere posset, prouecta iā ætate disciplinis animum studiumque applicuit. Cuius quantus fuerit erga liberos suos amor, satis declarat inscriptio ab ea Musis cōsecrata. cuius hic est sensus,

30 *Quo desiderio, Musa, non istis, amaris
Doctrina vestra munera, quoque animi
Eurydice studio flagrans Hierapolietis:
Quæ grato vobis dedicat hæc animo.
Nam mater natus iam pubescentibus ausa est
Theaurum sophia discere litterulas.*

35 Enimvero omnia, quæ exposuimus, vt in vnum concurrāt atque simul coniungantur, optari fortassis rectius potest quam mandari. Pleraque vero præcepta sequi & imitari, res quidem hæc ipsa est felicitatem requirens magnamque accurationem: potest tamen ab humana præstari natura.